

gatus Venetias venit : ubi divinis armis usus cælestis vitæ præmia proposuit omnibus , qui arma adversus Ecelinum tyrannum , Romanæ Ecclesiæ hostem judicatum , secum sumpsisserent . Premebat is gravi obsidione Mantuam : ad cuius opes evertendas , constituit Philippus loca , quæ ille occupaverat , quibuscunque posset copiis , infestare . Non pauci mortales ad tam piam expeditionem magno præmio evocati , Venetias ad illum confluxere . Sed Venetorum opes rem in primis juverunt . Siquidem præter ingentes copias , quas Philippo dederre , arma , naves , commeatus , & quicquid gerendo bello oppugnationibusque locorum usui futurum putabant , in castra comportandum curarunt : atque ita primum ex Bebiis (in quem locum ut convenienter , edictum erat militibus) mota in hostes castra , Corregiolamque subito admota . Huc An-sedinus , Ecelini ex sorore nepos , Patavii Prætor , cum aliquot cohortibus occurrerat . Is quum ab initio rescivisset , quæ Venetiis facta essent , Brenta fluvio Bachilioneque proprio cursu aversis , stagna , quæ illorum refluxibus circa ea loca fiunt , cohobitis , in proprium alveum aquis exiccanda curavit , ne esset , qua Venetorum navigia exercitum in continentem exponerent . Reddidit res ipsa aliquanto impeditiore navigationem . Nam ubi ad Corregiolæ ostium ventum est , essetque antiquus alveus pene totus aquis destitutus , ut majora navigia nullo modo ferret , minores lembi lintresque ut adhicerentur , necesse fuit . His sagittarii primo , qui hostes adversam ripam tenentes summoverent , inde reliquæ in continentem copiæ expositæ : tum in Saccenses ductum . Horum oppidum Ansedinus præsidio , a quo antea erat initum , impigre est defensum . Ravennas Antistes , soluta repente obsidione , quosdam haud procul inde vicos occupavit . Quum hæc Ansedinus rescivisset , confestim oppido Saccensibus reliquo , citato agmine Patavium ire contendit : Philippus Venetique , Saccensibus in fidem acceptis , hostem persecuti sunt , sub quorum accessum tam subita oppugnatio Patavium adorta est , ut pene prius ad Pontem curvum pars ejus sit capta , quam omnino oppugnari sentiretur . Ea victoria Philippus Venetique audaciores facti , rursus circa Altinantem portam

Bellum ad-versus Eccelinum .